

Index Titulorum & Capitum

- IX. De Interdicto.
- X. De Suspensione.
- XI. De Absolutione à Censuris.

TITULUS XII.

De Exemptione à jurisdictione Ordinariorum.

CAPUT PRIMUM.

Qualiter Monachi primitus subiecti fuerint Episcopis.

- II. Seculo Sexto & sequentibus varia privilegia sive immunitates Monachis concessa fuere, sed salva Canonica & Spirituali in Monachos auctoritate.
- III. Quorum auctoritate privilegia seu immunitates Monasteriis olim indulta sint.
- IV. De Initiis & progressu exemptionum.
- V. Principia quaedam juris in hac materia Exemptionum notanda.
- VI. Quid Synodus Tridentina circa Exemptiones statuerit.

FINIS.



PARS I.



PARS PRIMA  
DE  
PERSONIS.  
TITULUS PRIMUS  
DE  
CLERICIS.

CAPUT PRIMUM

De Clericis primæ Tonfuræ.

- 1 Olim Tonfura ab ordinibus non fuit separata.
- 2 Separationis occasio.
- 3 Hodie semper se junctæ.
- 4 A multis perverse appetitur.
- 5 Perversa intentio à Synodis quomodo reprobata.
- 6 Sollicitudo Episcoporum circa Tonfurandos.
- 7 Commoda ex illa sollicitudine speranda.
- 8 Quomodo hodie probanda Tonfura suscepta.

**R**imis quinq; ut minus Ecclesiæ secularis, nullos fuisse Clericos primæ dumtaxat Tonfuræ, nullo minore aut majore Ordine insignitos, solidè ostendit Morinus de Ordinat parte 3. exercitrat 15. cap. 3. ibidem ostendens; Tonfuram sæculis illis nunquam separatim ab omni Ordine datam fuisse, sed simul cum primo ordine, velut ritum illius collationi annexum.

II. Qua autem occasione, tandem circa annum septingentesimum Tonfura ab omni Ordine separari cœperit, his verbis enarrat Morinus: „Parentes filios suos impubes, imò ferè infantes Ecclesiasticis officiis consecrabant, & Episcopis instituendos offerebant. Eos Episcopi in eadem domo educandos, & instruendos curabant, ut essent Cleri reparandi velut seminarium, Eorum institutioni senex aliquis Clero præficiatur, atque ut plurimum Achidiaconus. Cum autem propter ætatis infirmitatem, Ostiariorum, aut Lectorum officiis in Ecclesia fungi non possent, Ordines illos illis non conferebant; sed solam Tonfuram cum veste Clericali. Tonfuram ideo ab Ordine separantes, ne pueri isti Ecclesiæ ministeriis parentum pietate devoti, ut profus sæculares & profani, hominum oculis comparerent. Longo post tempore, quod in pueris fiebat propter ætatis infirmitatem; in ætate valentibus usurpatum est, Tonfuraque Clericalis, ut Ordo quidam ab aliis separat, quibuscumque separatim collata est.

III. Quod labentibus sæculis invaluisse scribit Morinus Van Espen Jus. Eccles. P. I.

nus, id non in Belgio dumtaxat, sed per totam Ecclesiam Latinam receptum est; ut nimirum Tonfura Clericalis, ramquam Ordo quidam ab aliis separatus, quibuscumque separatim conferatur.

Ne que insigniti Tonfura Clericali ab ea Clerici dumtaxat nuncupantur, sed etiam de foro Ecclesiæ constituuntur; & privilegia Clericalia adipiscuntur: uti Episcopus ordinans ex pontificali denuntiat: Filii Charissimi, ait ad Tonfuratos. animadvertere debetis quod hodie de FORO ECCLESIAE facti estis, & PRIVILEGIA CLERICALIA sortiti.

IV. Hinc factum, ut plures, non animo Deo & Ecclesiæ serviendi, sed laicalis judicii declinandi causâ; & privilegiis Clericalibus gaudendi Tonfuram Clericalem expecterent; quos notavit Synodus Tridentina; eos ad Tonfuram non admittendos declarans, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis judicii fugiendi fraude hoc vitæ genus elegerint.

Verum, quia in Belgio hæc à jurisdictione laicali exemptio quoad Clericos primæ Tonfuræ faventibus, vel annuentibus Summis Pontificibus, multum restricta est (ut infra, ubi de immunitate & exemptione Clericorum agitur, ostendemus) pauci sunt in Belgio, qui hac à Synodo Tridentina reprobata intentione, Tonfuram Clericalem expectant: At alia est non minus perversa & perniciofa, quæ plurimos ad Tonfuram Clericalem hodie in Belgio impellit.

Cum enim in Belgio, uti & aliis Provinciis, plura sint Ecclesiastica Beneficia solam Tonfuram Clericalem requirunt, ut quis proventibus, aut aliqua eorum parte gaudere possit, etiam in minori ætate constitutus; plurimi, vel proprio, vel parentum instinctu, ad Tonfuram Clericalem hoc unico motivo impelluntur, ut Beneficii obtinendi fiant capaces; nihil de vocatione ad Statum Ecclesiasticum; aut propensione & animo, Deo & Ecclesiæ serviendi solliciti.

V. Carnalem hanc ac terrenam intentionem, non secus ac priorem exclusit Synodus Tridentina, declarando, primam Tonfuram solum initiandos, de quibus probabilis conjectura sit, eos hoc vitæ genus elegerint, ut Deo fidelem cultum præstent. Sess. 23. cap. 4. de reform.

A

V. H. 10

VI. Hinc è Concilio Tridentino redit Franciscus Ri-  
cha: dorus Episcopus Atrebatensis voluit, ut ad Tonfuram  
non admittantur, nisi qui fidem faciant, se eo animo hunc  
gradum optare, ut Deo & Ecclesie serviant. Syn. Atre-  
batensis 1570. tit. de Sacram. Ordinis cap. 7. Consonant &  
alia Synodi Belgica; vel generaliter, aut etiam speciali-  
ter jam citatum Synodi Tridentinae Decretum probantes.  
Quibus novissimè suffragatus est nominatissimus ille  
Mechliniensium Archi-Præful Jacobus Boonen, in De-  
creto suo de Sacris Ordinationibus 19. Octob. 1654. pu-  
blicato, in quo à Tonfurando inter cætera requirit, ut à  
Parocho & Ludimagistro, eovè quem in quovis Studii-  
rum genere audit, aut si alicui Seminario, vel Collegio  
adscriptus est, ab illius Rectore loco Parochi, clausas &  
obsignatas litteras afferat; quibus testatum faciat, bo-  
nis probisque moribus semper se vixisse, itemque in Ec-  
clesia frequentius, religiosiusque versatum esse, ac sa-  
cram Communionem sapienter in anno sumptisse; Nec non  
probabilem de se spem præbere; quòd in clericali Ordinis dis-  
ciplina sit permansurus, quòd potissimum, ut Deo fidem cul-  
tum præstaret, ad hoc vitæ genus fuerit inductus.

His præfuerat zelosissimus Mediolanensis Antistes S.  
Carolus, qui à Tonfurandis inquiri voluit, Quam ob-  
causam se Clericos fieri velint? An tales sint, qui spem  
præbeant, Ecclesie Ministros utiles se fore? A quo Sa-  
cerdote, sanctioris vitæ magistro instituti sint vitæ Cle-  
ricalis modum? An vitæ Christianæ præcepta, instituta-  
vè sciunt? Concil. Mediol. 5. part. 3. cap. 2.

Sanè si unquam in danda Tonfura vigilare & sollicitos  
esse oportuit Episcopos Belgii, indubiè hoc tempore o-  
portet. Ad oculum quippe patet, in Belgio locum habere  
quod anno 24. præsentis seculi deplorabant patres Con-  
cilii Burdigalensis Cap. 6. §. 2. "In nulla re magis labora-  
re homines hujus seculi, quam ut filii, præcipuè defor-  
mes & ad negotia secularia inepti in fortem Domini af-  
sumantur: ad beneficia certè, non ad officia Ecclesiastica  
quacumque ratione, cum eos non vocet Dominus, pro-  
movendi."

VII. Si eam circa Tonfurandos curam impenderent  
Episcopi, non dubium, quin plures inepti & mercenarii à  
Beneficiis, & Ministeriis excluderentur; qui semel Ton-  
fura accepta, & per eam beneficiorum capaces redditi, à  
Patronis, aut Collatoribus Beneficia impetrantes, non sine  
summa difficultate, & non nisi obstante manifesto im-  
pedimento, excludi possunt.

Adhæc, si Episcopus, qui non nisi Ecclesie utiles; &  
in doctrina & moribus ritè probatos Sacerdotes Diocesi  
sua providere intendit; ni & circa Tonfurandos debitam  
exactamque adhibeat diligentiam, non rarè suo frustrabitur  
voto. Quid enim facilius, frequentiusque, quam ob-  
renta jam Tonfurà Beneficium aliquod nullius, aut exi-  
gui proventus impetrare in Diocesi Episcopi, qui scitur  
omnes penè indifferenter ad Sacros Ordines admittere; at-  
que ita titulo Beneficii à tali Episcopo ordinari, à quo ordi-  
nari non potuisset, nisi Tonfura receptà Beneficium  
obtinuisset.

Ex his quisque facile intelliget, per multum propterea re-  
ferre (verba sunt S. Caroli in Conc. Mediol. IV.) omnem  
in illa conferenda, & suscipienda, diligentiam adhiberi.

VIII. Illud circa Tonfuram, & Ordines hic in Belgio  
specialè occurrit, quod Edictum perpetuum Alberti & I-  
sabella: art. 21. pro eorum probatione requirit litteras;  
nec testes admittat, nisi in casum deperditorum Registroum:  
quam perditionem, qui allegat, probare debet; uti  
notat Antonius Anselmo ad citatum articulum §. 17.

## CAPUT II.

### De Clericis Minorum Ordinum.

Ordines Minores Ordinibus Sacris olim non semper præ-  
missi.

- 2 Aliquando plures, aliquando pauciores præmittantur.
- 3 Neminum eodemque tempore plures conferantur.
- 4 Interstitia etiam inter hos Ordines servata.
- 5 Hodie omnes Sacris Ordinibus præmitti debent.
- 6 Votum Ecclesie ut functiones illorum Ordinum restituantur.
- 7 Ut per interstitia conferantur.
- 8 Disciplina circa hos Ordines multum collapsa.
- 9 Que pro lapsionis origo.
- 10 Zelus S. Caroli in hac disciplina restituenda.

**U**atuor Ordines, quos hodie Minores dici-  
mus, Ostiariatum, Lectoratam, Acolyta-  
tum, & Exorcistatum, primis Ecclesie se-  
culis non fuisse semper præmissos Sacris  
Ordinibus; neque existimatum tunc fuisse,  
ut hodie creditur, illum per saltum aut minus Canonicè  
Ordinatum, qui uno aut pluribus, vel subinde etiam om-  
nibus Ordinibus Minoribus omisissis, ad Diaconatum alio-  
remque Ordinem fuisset promotus, tam ex Canonibus,  
quam exemplis Sanctorum ita Ordinatorum, fusc ac soli-  
dè ostendit Morinus de SS. Ordinat. part. 3. exercitat. 11.  
cap. 2. Notatque ibidem: Minores illos Ordines eum præ-  
cipuè in finem majoribus fuisse præmissos, ut i horum  
exercitiis, ad altiores Ecclesie functiones assumendi prius  
probarentur & exercerentur.

II. Hinc ulterius fiebat, ut nunc plures, nunc paucio-  
res Sacris Ordinibus præmitterentur; prout nimirum Epif-  
copi judicabant ipsum ordinandum plus minusve esse  
probandum & exercitandum.

Neque enim ullus, etiam Minoribus Ordinibus insigni-  
ebatur, nisi unà alicui Ecclesie adscriberetur, ubi Ordini-  
nis suscepti functiones obiret.

III. Cumque singulorum Ordinum variae diversæque  
essent functiones, nemini uno eodemque tempore plures  
Ordines dabantur; sed prout his, illisve amplius conveni-  
re judicabantur, eos Episcopus conferbat. "Alius, inquit  
S. Ambrosius lib. 1. Off. cap. 44. distinguenda lectioni  
aprior, alius Psalmo gratior, alius exorcizandis qui malo  
laborant spiritu sollicitior, alius sacrario opportunior  
habetur: Hæc omnia spectet Sacerdos, & quid cuique  
congruat, id officii deputet. Quo etenim unumquemque  
suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id ma-  
jore implet gratia."

IV. Denique nemo eo tempore, Ordine aliquo Minore  
Insignitus ad ulteriorem, etiam Minorem Ordinem ascen-  
debat, nisi præscriptis temporibus, quæ hodie interstitia  
vocamus, in Ordinis illius exercitio laudabiliter versatus  
esset; & quoddam quasi tyrocinium percuruisset; quo se in  
majoribus functionibus obeundis idoneum probasset.  
Quæ omnia fuscus prosequitur & probat Morinus in cita-  
to capite, & sequentibus.

V. Moderna verò Ecclesie disciplina nullum hodie ad  
Sacrum Ordinem admittit, nisi omnibus quatuor Minori-  
bus insignitum; eumque, qui vel uno omisso Majorem sus-  
cepisset, tamquam per saltum promotum reputaret; & à sus-  
cepti Ordinis functionibus suspensum; saltem quoad usque om-  
missum Ordine suscepisset. De quo videri possunt Canonis-  
ta: ad tit. 28. lib. 5. Decretalium, de Clerico per saltum promotio.

Quoad reliqua puncta, si Ecclesie mentem in Canonibus  
expressam spectemus, reperiemus, modernam circa  
Ordines minores disciplinam Ecclesie cum pristina penè  
per omnia convenire.

VI. Optat siquidem Synodus Tridentina Sess. 23. cap.  
17. de reformat. "Ut Sanctorum Ordinum à diaconatu ad  
Ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in  
Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis ali-  
quandiu intermissæ, in usum juxta Sacros Canones  
revocentur": Hortaturque in Domino Ecclesiarum  
Prælatos, illisque præcipit, ut, quantum fieri potest  
provideant, ut functiones hujusmodi in Cathedralibus &  
Collegiatis Ecclesiis frequentioribus, per confucios in  
dictis ordinibus dumtaxat exercentur. Et sanè, nihic esse  
Ecclesie sensus, quam obrem Ordinum illorum singulas  
fun-

functiones tam sollicitè in Pontificali Ecclesia exprimeret,  
Ordinatioque inculcatur; atque ut in iis exercendis essent  
diligentes moneret, Deumque per Antistitem deprecari  
vellet?

VII. Adhæc etiam nunc hodie Ecclesie mentem esse,  
ut Ordines Minores per temporum intervalla conferan-  
tur; utque in illorum exercitiis Clerici probentur, prius-  
quam ad superiores promoveantur, evidenter probat Sy-  
nodus Tridentina desiderans, ut Minores Ordines per  
temporum interstitia, nisi Episcopo aliud expedire magis  
videretur, conferantur; ut eò accuratius, quantum sit hujus  
discipline pondus possint edoceri, ac in UNO QUOQUE MU-  
NERE, juxta præscriptum Episcopi se exercent, idque in ea,  
cui adscripti erunt, Ecclesia; nisi forte ex causa studiorum  
absint, atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum  
ætatè, vitæ meritum & doctrina major accrescat.

Quid evidentius, quam Synodum Trid. conformiter  
ad Patrum disciplinam, velle, non solum ut Minorum Or-  
dinum functiones in usum revocentur; sed etiam ut singuli  
per temporum intervalla conferantur: ut ita in eor-  
um exercitiis, tanquam in quodam Tyrocinio ad majores  
Ordines promovendi exercentur, & probentur.

Hanc disciplinam probantur & Synodi Belgica; vel  
generatim probando quæ circa Ordines statuit Synodus  
Tridentina, vel eandem disciplinam suis Decretis specia-  
liter proponentes & inculcantes.

"Nullus, ait Synodus Namurcensis sub Francisco Buf-  
seret an. 1604. tit. 7. cap. 2. "se præferent ad plures or-  
dines Minores simul suscipiendos, nisi Ecclesie necessi-  
tas aut utilitas hoc postulaverit: Cum extra hunc casum,  
Sacrum Concilium Tridentinum in Minoribus non minus,  
quam Majoribus Ordinibus interstitia servari voluerit. Idem  
inculcat repetitis supra citatis Concilii Tridentini verbis  
Synodus Audomarenensis an. 1583. tit. 9. cap. 4. Et novissi-  
mè sub Wachtendonck Syn. Namurcensis tit. 8. cap. 4. de-  
clarat, "quod Minoribus Ordinibus insigniti, juxta Con-  
cilii Trid. dispositionem, non nisi post annum à suscep-  
tione postremi gradus Minorum Ordinum; ad Majores  
Ordines promoventur: nisi necessitas aut Ecclesie u-  
tilitas videatur aliud exposcere."

VIII. Attendant Episcopi, alique Ecclesiarum Præla-  
ti, quibus disciplinæ cura incumbit: quam hæc cum mo-  
derna Belgii praxi conveniant: Ubi Minorum Ordinum  
officia & ministeria à quolibet occurrente occupantur,  
& vix aliquando ab initiatis administrantur.

Imo quis Clericus ob receptos hos ordines de functio-  
nibus Ordinibus annexis obeundis in unquam cogitat;  
aut ab Episcopo monetur? Quis Episcopus, aut Ecclesie  
Prælati intendit, num Ordinibus Minoribus initiati ali-  
quas eis annexas functiones exercent? Aut, an hi qui eas  
obeunt, Ordinibus illis sint initiati? Adeo quidem de  
his omnibus altum silentium, ut verendum sit, ne evene-  
rit in Belgio, quod timebat Synodus Trident. quod nimirum,  
per functionum illarum neglectum, daretur occasio  
hæreticis traducendi functiones illas ut otiosas.

Quoad interstitia inter ipsos Ordines Minores, nullum  
superest in Belgio vestigium; imo nec unus sine altero un-  
quam confertur, alique sunt etiam in Belgio Dioceses, in  
quibus separatim, & servatis interstitiis conferuntur.

Quin nec Ordines Minores inter & Subdiaconatum  
plusquam unius diei spatium intercedere solet: Hoc est,  
feria sexta quis ad Minores, & Sabbato sequente ad Sub-  
diaconatum promovetur.

Ita omnis Canonica per Synodum Trident. & Synodos  
Belgicas renovata inculcatur; disciplina, jam tandem non  
tantum collapsa, sed penitus quodammodo extincta est.

IX. Et unde hæc prolapso? non aliunde, quam ex fa-  
ciliiori primùm ab Episcopis facta dispensatione. Cum enim  
in junctum esset Episcopis Ordinum Minorum servare  
interstitia, addita hac moderatone: Nisi necessitas aut  
utilitas Ecclesie, judicio Episcopi, aliud exposcat, contigit, ut  
cæperint primùm cum aliquibus dispensare; credentes,  
necessitatem, aut Ecclesie utilitatem eam requirere; qua

Van Espen. Jur. Eccles. P. I.

deinde à nonnullis Episcopis nonnihil facilitata, tandem  
porta aperta est huic, quam videmus prodigiosè discipli-  
næ relaxationi: Adeo ut hic verificetur illud Veterum:  
Dispensatio omnis bona disciplina novet.

X. Expendere poterant Episcopi, num tantus Cano-  
num neglectus sit tolerandus: disciplinaque illis præscrip-  
ta ita negligi possit, ut nulla illius vel retinendæ vel re-  
staurandæ cura sit habenda. Aliud sanè oculatissimo Me-  
diolanensium Antistiti S. Carolo visum fuisse, sat probant,  
qua: pro restituendis Ordinibus illorum functionibus, dis-  
ciplinaque in eorum collatione restituenda in suis Conci-  
liis decrevit. Interim illud indubitatum: Non minus ho-  
die, quam olim; ad Sacros Ordines assumendos, debere  
Episcopis & quoad mores, & quoad doctrinam esse pro-  
batos. Quam probationem si hodie non accipiant ex hoc,  
quod Sacris initiandi prius per certa tempora se in Minori-  
um ordinum functionibus laudabiliter exercuerint, &  
dignos majoribus functionibus probarint, eam indubiè  
aliunde accipere debent.

## CAPUT III.

### De Subdiaconis, Diaconis & Presbyteris.

- 1 Multis sæculis Subdiaconatus minoribus Ordinibus annu-  
meratus fuit.
- 2 Etiam postquam continentis lex ei fuit annexa.
- 3 Hodie Sacris Ordinibus adjunctus.
- 4 De servanda Castitate serio monendi ad Ordinem Subdia-  
conatus assumendi.
- 5 Officia Subdiaconi verbis Pontificali expressa.
- 6 Officia Subdiaconi ad solam Epistola decantationem hodie  
reducuntur.
- 7 Subdiaconi horas Canonicas recitare debent.
- 8 Quare Diaconus antonomastice dicitur Minister.
- 9 Diaconorum varia officia.
- 10 Hodie multum restricta.
- 11 Ad Diaconos monitum Pontificali.
- 12 Multum collapsa moderna disciplina circa Diaconorum of-  
ficia.
- 13 Presbyterorum functiones proponuntur ex Pontificali.
- 14 Prima indicatur per verbum Offertre.
- 15 Secunda per verbum Benedicere.
- 16 Tertia per verbum Præfesse.
- 17 Quarta per verbum Prædicare.
- 18 Quadam circa posteriores functiones notanda.
- 19 Presbyteri ordinantur in adiutorium Episcoporum.
- 20 Presbyteri in utilitate proximi ordinantur, non in propria

I. Indubitatum est, Subdiaconatum multis sæculis et-  
iam in Ecclesia Latina Minoribus Ordinibus annu-  
meratum fuisse: & extra Missarum solemniam & extra al-  
tare collatum: Soloque Ordines Diaconatus & Presbyte-  
ratus Majores & Sacros Ordines, qui inter Missarum so-  
lemniam, & ad ipsum altare, seu sanctuarium Sabbatho qua-  
tuor Temporum conferrentur, reputatos fuisse. Qui mos  
etiam hodie apud Græcos retinetur; & apud Latinos ul-  
que ad sæculum IX. generaliter, & in quibusdam Eccle-  
siis ad sæculum XII. conservatus fuit: uti multis ostendit  
Morinus de SS. Ordinat. part. 3. exercit. 12.

II. Sacris autem Ordinibus hunc Ordinem annu-  
meratum credunt communiter Canonistæ, ad Cap. 9. de æta-  
te & qualit. Ordinandorum, dum ei perpetuæ continentie  
lex adjuncta fuit. Sed error videtur. Constat enim, quod  
lex continentie Subdiaconis sæculo quinto imponi cæpe-  
rit, ex Epistola 12. Leonis I. ult. edit. & sæculo sexto tan-  
dem generaliter omnibus ad Subdiaconatum promovendis à  
S. Gregorio posita: Ita enim scribit Lib. 1. epist. 42. "Ante  
triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ  
prohibiti fuerant, ut more Rom. Ecclesie nullatenus suis  
uxoribus miscerentur: Quod mihi durum, atque incom-  
petens videtur, ut qui ulum ejusdem continentie non  
invenit, neque castitatem ante promissit, compellatur  
à sua uxore separari: atque per hoc, quod ab-  
sit, deterius cadat. Unde videtur mihi, ut à præsentia

A 2

die